



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Avla ... Thesavrorvm Dei In Passione D. N. Iesv Christi
Effusorum ad Resvrrectionem Mvltorum**

Eyschen, Georg von

Coloniae, 1655

§. 228. Cæteri autem dicebant; fine videamus an veniat Elias liberans
eum. v. 49.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45515

sæpius, eheu! dolor! sine siti datur ad crapulam & superfluitatem: Itane servus melius tractatur, quam Dominus? Creatura quam ipse Creator omnium Deus! Eheu doleo vehementer ob similes excessus & peccata gravissima, emendabo me ex nunc Domine, Tu robur ter & auxilium propter illum amarissimum fellis & aceti potum, & sitim meæ salutis, ut satureris. Sitis enim tua mea salus est & redemptio univerforum.

§ 228. *Cæteri autem dicebant, sine videamus an veniat Elias liberans eum. v. 49.*

Dum continuaret miles ille in porrigendo spongiam aceto plenam & felle Iesu, cæteri astantes illusorie dehortabantur eum, ut cessaret ab obtrudendo ad os Christi benedictum, spongiam, ne forte vel suffocaretur ante adventum Eliæ, quem irrisoriè expectare se simulabant: alii ex livore & odio in Iesum dicebant militi porrigenti, *sine, hoc est, cessa, noli ei ultra propinare acetum, ne citius moriatur, sed diutius agonizet & illudatur à nobis & crucietur, quia inimicus noster est pervertit gentem nostram, & legem Moysis, Regem nostrum se fecit, cum non habeamus Regem nisi Cæsarem, contrarius fuit operibus nostris, ideo & nos sumus ei in omnibus contrarii; & lentissima, & amarissima morte mori eum desideramus.*

O Dulcis Iesu, mitissime Iesu, patientissime Iesu, quid fecisti populo huic, aut in quo molestus fuisti, ut ita te odio habeat nec satiari possit in te affligendo, nova continuo excogitando tormenta in te: per omnes sensus & prolongando ad hæc vitam, Certe tu nihil mali feceras eis, sed in te puniebar ego *Quid ergo tibi retribuam bone Iesu pro omnibus quæ retribuisti mihi? Calicem salutaris accipiam & nomen Domini invocabo, & laudabo, tua adjuvante me gratia, in æternum. Amen.*

§. 229. *Iesus autem iterum clamans voce magna v. 50.*

Paulo ante circa horam nonam exclamavit Iesus voce magna ut omnes attenderent ad verba testamenti sui ad patrem dicendo: *Eli Eli*, nunc volens emittere Spiritum iterum clamat voce magna ostendens in hoc se verum hominem, verè passum post tot exardatos labores, angustias, contumelias, irrisiones, flagella, verbera, cruciatus, ita ut jam sit factus peripsema & ludibrium toti mundo ab ijs pro quibus passus sit, jam pro iis quoque mori se paratum, unde ex Cathedra sanctæ Crucis extensis brachiis ab Oriente in Occidentem, vel Septentrione in Austrum, in medio terræ positus voce magna clamat, & quasi convocat totum mundum protestando se patri irato satisfecisse in omnibus quæ promiserat ipsi pro genere humano